

splendentis eloquii velut coloris pretiosi corusco resultans, capit animorum oculos specie formosi, visuque perstringit. Sed aurum hoc, si diligentius manu tractes, foris pretium, intus metallum est. Volve quaeso, atque excute sectam gentilium: pretiosa et grandia sonant, veri effoeta defendunt. Deum loquuntur, simulacrum adorant. Tria igitur in relatione sua vir clarissimus praefectus urbis proposuit, quae valida putavit. Quod Roma veteres, ut ait, suos cultus requirat, et quod sacerdotibus suis virginibusque vestalibus emolumenta tribuenda sint, et quod emolumentis sacerdotum negatis, fames secuta publica sit. In prima propositione, flebili Roma questu sermonis illacrimat, veteres, ut ait, cultus caeremoniarum requirens. Haec sacra, inquit, Annibalem a moenibus, a Capitolio Senonas repulerunt. Itaque dum sacrorum potentia praedicatur, infirmitas proditur. Ergo Annibal diu sacris insultavit Romanis, et diis contra se dimicantibus, usque ad muros urbis vincendo pervenit. Cur se obsideri passi sunt, pro quibus deorum suorum arma pugnabant? Nam de Senonibus quid loquar, quos Capitolii secreta penetrantes romanae reliquiae non tulissent, nisi eos pavido anser strepitu prodidisset? En quales templa Romana praesules habent. Ubi tunc erat Jupiter? An in ansere loquebatur? Verum quid negem sacrorum ritus militasse Romanis? Sed etiam Annibal eosdem deos colebat. Utrum volunt igitur, eligant. Si in Romanis vicerunt sacra, in Carthaginensibus ergo superata sunt: si in Carthaginensibus triumphata, nec Romanis utique profuerunt. Facessat igitur invidiosa illa populi Romani querela: non hanc Roma mandavit. Aliis illa eos interpellat vocibus. Quid me casso quotidie gregis innoxii sanguine cruentatis? Non in fibris pecudum, sed in viribus bellatorum trophaea victoriae sunt. Aliis ego disciplinis orbem subegi. Militabat Camillus, qui sublata Capitolio signa, caesis Tarpeiae rupis triumphatoribus, reportavit: stravit virtus, quos religio non removit. Quid de Attilio loquar,